

Quomodo ergo fiant calculi adhuc diligenter considerandum, sunt enim conglobatae in vesica materia nec electa: adeò ut vix generari calculus possit si totum quod in vesica continetur singulo die excernatur. Retinetur ergo materia calculi, antequam calculus fiat, non autem calculus fit antequam non excerni & retineri incipiat. Hoc autem initium est huius contemplationis, quod sex illa pluribus diebus retinetur antequam lapidescat, & cogitur primum, inde durescit, post concrescit, demum fit ut lapis, tuncque bifarium retinetur, & ob situm & ob crassitatem fit autem duobus modis, primum in imo vesicæ idque frequentius, & est durior, alio modo adhaerens parietibus vesicæ, & est mollior, concrescit enim in crastinam, inde decidit sitque lapis. Ideoque & oleum & succi dissecantes prosunt maximè in huiusmodi, & aqua cinerum destillata. Sed quoniam Fernelius contendit in sexto de Morbis & symptomatibus, (cap. 13.) omnem lapidem in vesica habere originem à lapide in renibus orto, & adducit duas rationes, prima, quod nullum vidit hoc morbo conflictatum qui non laborauerit calculo renum: secunda, quod in medio talium lapidum inuenitur quasi nucleus alterius substantiae. Quid dicam ad hæc non habeo, constant argumenta singula singulis experimentis. At ille sibi fidem abrogavit, cum referat masculos nasci alio modo quam foeminas, cum dum in utero sunt circumvoluantur ut exeat: facie autem respiciunt dorsum, ideo ut circumuerso fuerint omnes, ut etiam testatur Iulius Cæsar Arantius in suo libello de Humanæ fœtu, (cap. 8.) ventrem respicit & propriè de pueris agit. Sic cum in tot libris Aristotelis, Galeni, ac nostris non inuenimus fuerit mendacium, ipse in insigni inueniatur, videtur homo quæsi gloriā sine pudore aut conscientiæ respectu, cum non haberet aliam viam qua sibi nomen compararet, plurimum enim ac plurimum hoc refert ad salutem multorum, an hoc sit verum vel falsum. Ideò tales homines scribunt admiranda, sine ullo respectu immo prodigiosa. Quid etiam prohibet ne non arena aggeneretur ut etiam lapidi. De secundo experimento non tentaui, concludo quod utinam verum sit, magnam enim lucem in hac causa attulisset. Illud mihi suspectum est, quod etiam est cum Hippocrate, quod multis pueris hoc accidit absque renum calculo. Si tamen ita sit licebit coniectari certa ratione tempus, & quandiu sit quod lapis in vesica esse coepit.

Circa lactationem puerorum meminisse oportet sex quæ colliguntur, aut saltem quinque à Galeno in tertio de alimentis. (cap. 15) Primum quod lac nocet præcipue quatuor membris, iecori obstruendo, renibus & vesicæ lapillos generando, capiti si sit imbecille: sed maxime dentibus. Secundum quod mel est ferme alexipharmacum lactis, cum hoc etiam prohibens ne in ventriculo congeletur. Tertium quod lac coniunctum cibis ex farina, licet non sit adeò flatuosum, magis tamen obstruit & gignit lapides. Quartum quod lac inficitur qualitatibus non so-

lum animalium & mulierum, sed etiam ciborum. Vnde dicit lac mulieris aut capræ quæ ediderit tithymalum purgabit infantem, & etiam adultum. Ex quo patet quod in timore calculi si nutrici dederimus ruminem & vrticam, & eiusmodi ut linamnia & raphanos, reddemus ipsum tutum ab hoc periculo de quo Hippocr. in littera. Quintum quod cum omnes cibi agant pro ratione quam assumuntur, solum lac cum sit cibus unicus simul & potus in infantibus plurimum potest in huiusmodi causis ad iuuandum ac nocendum. Sextum quod pars sola casei est illa quæ gignit lapidem, butyrosa potius impedit: ideo ab asinino lacte nullum est periculum, mirum est autem quod cum dicant lac camelinum esse tenuissimum post equinum, inde asinum, ut tantum tamen medici camelino & asinino, equino autem quod est in medio eorum nunquam.

## TEXT. XXX.

**E**T sane sentio melius esse pueris vinum quam aquosissimum dare, minus enim venas adurit ac resiccat.

**P**Veris negant omnes vinum, Plato, (2. de Legibus) Aristoteles & Galenus. Sed & Aristoteles in septimo Politicorum dicit, non exhibendum ob valetudinem, (de Somno & vigil. cap. 2.) Certe Hippocrates (1. de Tuend. san. cap. 1.) videtur varius etiam in tertio de Viectu in Acutis, (vlt. in princip.) pro quibus contradictionem exegimus in quarto libro (100) Ideo his omissis relinquitur illud de detimento vini in pueris, quod est multiplex, primum quia laedit illorum capita, inde etiam neruos & mentem, quia nimis exsiccat & deducit materiam ad superiora, & ob id est valde malum. Propter aquam enim ardenteam quam continet hæc eueniunt, præterea male commiscetur, cum vinum statim penetret, & lac secum incoctum trahat. Quomodo autem suadeat vinum dari pueris, vel loco lactis vel aquæ: si lactis, hoc videtur absurdum: quoniam vinum est potus, & non potest supplere vicem lactis: si aquæ, videtur esse extra propositum, primum cum sermo nunc sit de lacte, non aqua. Præterea non solum pueris, sed longe magis inuenibus & senibus hoc consilium conueniret. Propterea dico quod loquitur de pueris, & comparat ad lactis potum non simpliciter, sed qui cum cibo solet administrari pueris. Et ideo in hoc casu vult conuenire vinum aquosissimum seu naturæ seu etiam mistum bonæ aquæ. Et ideo pars hæc cum præcedenti Textu est κάλα, vt dicit Græci, abscissum à reliquo, est enim extra tractationem, & ob similitudinem solum hic adiectum, ideo reddebat anticipatem interpretationem. Est ergo sensus, vbi lac sit calidissimum & biliosissimum, tunc seu propinetur cum cibo, melius est dare vinum aquosum valde: seu natura si aquæ malæ sint, vt in proposito ante, seu dilutum si sint bonæ: seu lac detur sine cibo alio,